UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt III. Qualiter creaturæ omnes in musica quadam symphonia Dei laudes immensas cantu simplici proclament.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

CAPVT II.

Innumeras DEI perfectiones in creaturis repræsentari, variis similitudinibus docent antiqui Patres.

MVNDVM hunc visibilem, librum esse litteris & notis exaratum, DEI gloriam ejusque augustissimam majestatem (arcanam alioqui & invisibilem) intellectui creaturæ palàm prædicantem, apertè docuit Rex David, cùm Psal. 18. ait: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum.*

Cæli quo modo gloriam Dei enarrent.

Quo igitur pacto, dices, cæli amplissimam DEI majestatem explicant? qua voce? quo idiomate? aut qua orationis serie? D. Chrysostomus *Homil. 9. ad popul. Antiochenum*, huic dubitationi pulchrè respondet, dicens: *Vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant? Per ipsum adspectum. Cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam, per tantum temporis permanere, tamquam vocem audiens, & ad aspectum discens, adoras eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus creavit.*

Vnde egregiè Basilius *Hexaëm.* Hom. 11. *Quin & universa*, inquit, *moles mundi perinde est ac liber litteris exaratus, palàm contestans ac prædicans gloriam DEI, illiusq; augustissimam majestatem (arcanam alioqui & invisibilem) abundè enuntians intellectus creaturæ, quatenus ad cognitionem attinet veritatis.*

Gregorius quoque Nyssenus in suo *Hexaëm.* creaturas DEI orationem esse, his verbis expressit: *Verè quidquid cum sapientia fecit, DEI oratio est, quæ non sonantibus quibusdam instrumentis distinguitur & exprimitur, sed per ea, quæ in apparentibus rebus existunt miracula pronuntiantur.*

Chrysostomus præterea *in Psal.* 110. exponens illum locum, *Exquisita in omnes voluntates ejus*, universam creaturam esse homini pro libris & litteris ad DEI magnificentiam cognoscendam, edocuit, dum ait: *Ad præcepta ejus, ad mandata ejus. Non solùm autem ad præcepta ejus, sed ut ipse etiam cognoscatur ab hominibus; quæ quidem est principalis ejus voluntas, & propter quam hæc maximè fecit. Quod itaque dicit Propheta, est ejusmodi: Iis qui attendunt & sapiunt, perfectissimam, apertissimam, & evidentissimam DEI cognitionem hominum menti asserunt. Ad hanc enim ejus voluntatem ea ab initio ab ipso maximè constituta sunt, ut magnitudine, pulchritudine, positura, operatione, ministerio, & aliis omnibus animum spectatoris commoveret, mentemq; & intelligentiam excitaret, & ad opificem & præstantissimum artificem Deum inquirendum, & adorandum eum qui illa fecerit, & ut universum corpus totius creaturæ esset ei pro libris & litteris.* hæc Chrysostomus.

Mundus liber, & creaturæ verba Dei sunt, & quid nos doceant?

Et verè dicuntur creaturæ verba DEI, & mundus liber: nam si DEI dicere, creare est, res ab eo conditæ meritò verba DEI censebuntur, mundus verò liber, in quo exarata sunt DEI verba majestatem illius proferentia. In hoc libro amplissima præconia & elogia divinæ potentiæ, infinitæ sapientiæ, & inenarrabilis bonitatis ejus exarata sunt, quæ passim tum rudibus, tum eruditis, tum viris, tum mulieribus, legere & contemplari datum est; idque tam die, quàm nocte, omniq; tempore & loco.

Insuper & in quolibet istius libri capite immensam DEI gloriam conspicari licet: enimverò tam excelsa sapientissimi DEI majestas in omni, & in qualibet hujus Vniversi parte emicat, ut illud Isaiæ 6. *Plena est omnis terra majestate ejus*, crebrò iterare possemus. Si namque per singula hujus libri capita excurrere tempus ferret, facilè in quolibet mirabiles divinæ majestatis radios ipsis creaturis insitos foret invenire: etenim quænam inprimis DEI opificis gloria in orbis machina appareat, quæve in cælo, in astris, in sole, quæque in nocte & die, annique temporibus, quæ denique in elementis, ac in eorum diversitate ac commixtione, & præcipuè quæ in terra, in aquis & germinibus, quæ in lapidibus, ceteriliq; tertæ partubus; quæ in piscibus & avibus, quæ in apibus, araneis, & muribus, quæ in terrestribus animantibus, quæ vel in ipsis formicis, & in minimis quibuscumque aliis creaturis viliotibus, ac demum, quæ in omni tam supernarum quàm infernarum rerum classe immensæ DEI majestatis vestigia repertantur, penes innumeros Patres cernere licebit, qui argumentum hoc variis in locis ubertima sunt oratione prosecuti. Tandem, creata omnia, D. Augustino teste, *de cognit. veræ vitæ, Tomo 9. cap. 8.* dicuntur *quasi fenestræ, ex quibus DEI magnitudinem contemplari possimus*; ac ab aliis Patribus vestigia, DEI terga, imagines & picturæ ipsius DEI: ob eamque causam D. Paulus 1. Cor. 13. *speculum* DEI eas appellat, dicens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Quid per speculum in ænigmate intelligit, nisi lumen naturæ ac revelatum? Et elegantèr Apostolus naturæ lumen *speculum* appellavit, ac Fidei articulos *ænigmata* dixit: natura siquidem est speculum, DEI imagine insignitum; lumineque naturæ DEUM videre, est per speculum, seu lineam reflexam, hoc est, per creaturarum contemplationem, in DEUM opificem, à quo emanarunt, DEUM ipsum percipere & investigare.

CAPVT III.

Qualiter creaturæ omnes in musica quadam symphonia DEI laudes immensas cantu simplici proclament.

DECANTANT laudantque DEUM creaturæ omnes, & intellectu præditæ & ejusdem expertes: Angelus lingua angelicâ, homo verò tum voce, tum vita. Ceteræ verò à DEO conditæ creaturæ, Vniversum hoc replentes, per Prosopopœiam DEI laudes persolvere dicuntur, eò quòd magnitudo ipsarum, pulchritudo, varietas, & alii ab eis manantes effectus, potentiæ, sapientiæ, & bonitatis DEI immensæ in se coruscantium notæ sint & monimenta, quibus Angelus & homo ad divinas laudes pangendas excitantur, ut Chrysostomus id aptè edisserit, cùm in *Psalmum* 148. ita scribit: *Duo sunt modi laudandi DEVM, gloriaq; & honore afficiendi: unus quidem per verba, alius verò per ipsum. Hoc accedit etiam tertius, qui est per vitam & rectè facta: nam hominibus non solùm loquentibus, sed etiam tacentibus, DEO gloria offertur, quemadmodum Christus quoque dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cælis. Et rursus: Glorificantes me glorificabo. Est enim quæ fit per linguam glorificatio; sicut eum Moyses glorificavit cum Maria, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est. Est etiam quæ fit per ipsam creaturam, ut hic ipse dicit: Cæli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus, &c. & ita hic etiam laudat eum creatura pulchritudine, positione, magnitudine, usu, natura, mysterio, perseverantia, utilitate*

Tres Deum laudandi modi.

qua

quæ ex ea proficiscitur. Quando ergo dicit, Laudate Dominum Angeli, virtutes, cæli, lana, sol, stellæ, aquæ, quæ est super cælos, hoc dicit, unumquodque eorum, quæ facta sunt, dignum esse sapientia Effectoris, & esse plenum magno miraculo. Hæc Chrysost.

Qua ratione omnes creaturæ Deum laudent?

In quo etiam sensu Augustinus præclarè docuit, creaturas continuò inter se certare pro laude sui Creatoris. *Omnes creaturæ*, inquit, *certatim dimicant pro excellentia sui Creatoris.* quasi luculentiùs efferret, creaturas omnes continua pugna inter se confligere, ut DEI fulgores in se latentes hominibus manifestent, ac DEI excelsam gloriam illis annuntient. Canunt igitur creaturæ DEI laudes concentu (ut ajunt) musico, planéque, notis seu sonis gravibus, æqualibus; istæque notæ ac soni, canones sunt, super quos Angeli pariter & homines velut superbases aliquas discurrunt, cùm nimirum ex earum inspectione ad laudes divinas assurgunt, juxta D. Pauli Rom. 1. testimonium, ubi ait, quòd *invisibilia DEI, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* estque, ut Musici vocant, contrapunctum formale.

Ad quid mundi productio ac conservationes excitare debeat?

Cæterùm, omisså hac hominum & Angelorum modulatione, ex creaturarum intuitu promanante, ad jucundissimum creaturarum chorum descendamus. Planè, operum omnium, in quibus divina radiat majestas, præstantissimum mundi productio est; in hoc quippe perquàm augusto opificio singulariter ingens DEI potentia splendescit, dum tam mirandam ex nihilo machinam plasmavit; quando etiam omnipotentis ejus manu subnixa, tamdiu eadem perdurat, nec ulla unquam circulatione cæli lassantur, neque astra perspicuissimi fulgoris decrementum capiunt, nec elementa perpetuis transmutationum motibus absumuntur, nec rerum species infinitis individuis pereuntibus intereunt. Verùm, ut quid DEUS tam mirabile suæ potentiæ protulit ostentum, nisi ut ex illius intuitu omnis creatura admirandum creationis beneficium recolens, per quod cùm non esset, suum esse recepit, Artificis illius magnificentiam indesinenter extolleret? Huc sanè mens illa suprema intuitum direxit, & in hunc præcipuè finem æterna Sapientia orbem condidit, ut quemadmodum in cælo ab Angelicis hierarchiis numquam intercalaris præconiis sublimatur, sic & in terra à terrestribus cunctis perenni laude prædicaretur. Hinc Regius Psalmista David singulas creatarum rerum classes, Angelicam scilicet & humanam, illam cælestem, hanc terrestrem, ad DEI laudes deprimendas convocat, sic ajens: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Quo tam hæc David? *Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Ad concentum etiam variorum Musices instrumentorum eas amplius urget dicens: *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara.* Hæc autem omnia divino afflatus Spiritu protulit, ut non solùm articulato metaphoricóve sono suum creaturæ prædicent Auctorem, sed & operibus, velut musicis instrumentis, in ejusdem laudes abeant: quod tum quidem præstant, cùm id ad quod creatæ sunt, diligentissimè persolvunt, & injunctas sibi à DEO operationes exactè complent: tunc siquidem summi DEI, architecti peritissimi, potentia majestatis elucet, cùm juxta ipsius decreta res omnes creatæ sua munia perfectè obeunt: ex quibus effectibus ad causas secundas, à secundis ad primam omniumque supremam (à qua vis omnis operandi profluit) scandentes, totum quod resultat opus à DEO procedere cognoscimus. Solus Angelus & homo per ingenitam sibi libertatem ab hoc symmetrico cantu turpiter defecerunt, quando spretis DEI præceptis prævaricati sunt.

Cum creaturæ id præstant ad quod conditæ sunt, tùc perfectè Deum laudant.

PRIMÆ HIERARCHIÆ GRADUS PRIMUS.

CAPUT IV.

Infimus primæ Hierarchiæ gradus ex mundi hujus visibilis Contemplatione consurgit.

HOC igitur primum contemplationis genus consistit in speculatione & admiratione rerum corporalium hujus mundi, eorum inquam omnium, quæ per quinque sensus corporis ingrediuntur ad animam. Et est quidem hoc omnium infimum, & ad incipientes spectans: ab hoc enim debent rudiores inchoare, ut paulatim possint ad altiora, quasi quibusdam perfectionum gradibus ascendere. Ad hoc utique contemplationis genus quævis cognitio & admiratio Creatoris, quæ ex rerum corporalium consideratione consurgit, sine dubio spectat.

Habet hic primus contemplationis gradus materiam copiosissimam & satis prolixam: hic sibi inveniet quisque, ubi contemplationis suæ vela expandat. Exercuerunt se etiam multi Philosophi in hoc genere contemplationis: cœperunt enim laudenter rerum causas investigare, & invenire; *sed defecerunt scrutantes scrutinio*: non enim erat ejusdem facultatis, physicas rerum rationes invenire, & divinorum judiciorum profunditatem scrutari. quare *evanuerunt in cogitationibus suis*, eò quòd non possit invenire homo *opus, quod operatus est DEVS ab initio usque ad finem.* revelat autem DEUS per Spiritum suum quæ abscondita sunt sapientibus, parvulis, quibus vult, quando vult, & quantum de his scire oportet.

Hæc porrò prima speculatio in aliam triplicem considerationem à Richardo *lib. 2. de contempl. cap. 3.* dividitur, ita ut prima rerum corporalium contemplatio sit in rebus, secunda in operibus, tertia in moribus. Sed quia valdè prolixè hanc prosequitur distinctionem, nos secuti D. Bonaventuram in *Itinerario mentis in DEVM*, hanc mundi visibilis considerationem in duas tantùm partes dividemus. In prima, de ascensione per hunc mundum visibilem, tam majorem quàm minorem, ad DEUM optimum maximum dicturi sumus: in secunda verò, de modo ascendendi ex creaturis ad Creatorem disseremus.

Igitur sanctus Bonaventura, egregius acerspicax divinorum operum contemplator, in mirabili illo Libello quem *Itinerarium mentis in Deum* inscripsit (quem Gerson Universitatis Parisiensis Cancellarius summo opere inter alia divi Bonaventuræ opera commendavit) *cap. 1. ejusdem Itinerarii*, tractans de hoc primo contemplationis gradu, ita inquit: *Quoniam igitur prius est ascendere in scala Iacob, primum gradum ascensionis ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tamquam speculum, per quod transeas, &*

Primus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN